



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XIV. De Ætate & Qualitate & Ordine Præficiendorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



# TITVLVS XIV.

## De Ætate & Qualitate & Ordine Præficiendorum.

**D**ignitates aliæque beneficia, & iis annexa Officia ministeriæque Ecclesiastica non committuntur, nisi habentibus legitimam ætatem, Ordinem, & qualitates à SS. Canonibus requisitas: quarum proinde hic explicatio tradenda est.

- 12. *Et pensiones.*
- 13. *Computanda ætas à Natiuitate.*
- 14. *In ejus defectu dispensat Papa:*
- 15. *Nisi requiratur Jure speciali.*

**Æ**Tas varia est, pro varietate dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum. Et primò quidem, pro summo Pontificatu certa sanctionibus Ecclesiasticis non est constituta: &, quamvis omnino decens sit, ut Vicarius Christi in ea saltem ætate constitutus sit, in qua Christus cæpit prædicare & ceteri Ecclesiarum Episcopi promoveri solent, nihilominus quacunque ætate à duabus partibus Cardinalium eligatur, sicut alii, sic etiam legitimæ ætatis defectus electioni objici non potest, *c. Licet vitanda 6. de Electione: dummodo præditus sit usu rationis, ad Universalis Ecclesiæ Pastoris Officiu, Jure Naturali & Divinò requisitò, Panormit. in c. Licet cit. n. 10. & Fagnanus in c. Cùm in cunctis 7. de Elect. n. 28.*

Secundò, ad dignitates Ordinis Episcopalis, ut sunt Archi- & Episcopatus, Primatus & Patriarchatus, exigitur trigessimus ætatis annus exactus, hoc est, completus, *c. Cùm in cunctis cit. pr. Pro ratione Gloffa in c. Unic. V. Completeret in 6. allegat l. Non omnium 20. ff. de LL. Melius S. Thomas 3. p. 9. 39. art. 3.*

### ARTICVLVS I. De Præficiendorum Ætate.

#### SUMMARIUM.

- 1. *Papatus nullam certam ætatem:*
- 2. *Episcopatus trigessimum annum completum:*
- 3. *Cardinalatus ætatem Ordinis annexi:*
- 4. *Dignitates & beneficia curata 25. inchoatum:*
- 5. *Præpositura Monialium 40. vel 30. exactum:*
- 6. *Dignitates & personatus non curati 22.*
- 7. *Probabilius completum requirunt:*
- 8. *Etsi sint Ecclesiarum Collegiatarum.*
- 9. *Ætas requisita ad canonicatus Cathedralium,*
- 10. *Et Collegiatarum Ecclesiarum:*
- 11. *Ad beneficia simplicia,*

arr. 3. quod eam ætatem complens attingat perfectam ætatem corporis humani. Optimè Hostiensis in c. *Cum in cunctis* cit. n. 5. rationem eam reddit; quod eâ ætate completâ baptizatus fuerit & prædicare cæperit Christus. Neque obstant verba; *Erat JESUS quasi triginta annorum*, Lucæ cap. 3. v. 23. quia ibi vox *Quasi* additur non propter diminutionem, sed excessum; Christus enim ultra trigessimum annum tredecim dies exegerat, ut allegatis SS. PP. & Angelici D. testimoniis Turcremata in can. *Presbyter 2. dist. 78.* observat.

3. Tertio, eadem ætas ad S. R. E. Cardinalatum exigi videtur à Concilio Tridentino, ea, quæ de Episcoporum vita, ætate &c. statuta sunt, ad illum extendente, *Sess. 24. cap. 1. de Reform.* De quo quidquid sit, nunt post *Constitutionem Sixti V.* quæ incipit *Postquam verus*, de ipsis editam *Nonis Decemb. 1586.* in Cardinalibus Diaconis major ætas non requiritur, quàm sufficiens ad suscipiendum intra annum Ordinem Diaconatus; ac proinde; ut ad illum evehendus intra vigesimum secundum ætatis annum sit constitutus, Palæotus de *Sacri Consil. consult. p. 4. q. 1.* Garcias de *Benef. p. 6. cap. 4. n. 79.* & Fagnanus *l. cit. n. 26.*

4. Quarto, ad Prælaturas, Episcopali inferiores, v.g. Præposituras, Decanatus, Archidiaconatus & cæteras dignitates: ad parochialia aliæque beneficia, quibus cura animarum, sive externi sive interni Fori, annexa est, vigesimus quintus annus inchoatus requiritur, c. *Cum in cunctis* cit. §. *Inferiora* & Tridentini *Sess. cit. cap. 12. de Reformat.* in qua ætate etiam constituti esse debent vicarii perpetui parochialium aliarumque Ecclesiarum cunatarum, *Clement. 1. de Offic. Vicar.* uti & Abbates, Priores, aliæque Prælati Regulares, secundum *Clement. 1. §.*

*Ceterum de Statu Monach. & Tridentinum*, vigesimum quintum annum generaliter ad dignitates curatas quascunque exposcens, *cap. cit.*

Neque refert; quod Abbatibus, Prioribus, aliæque monialibus præposituræ ætatis quadragesimum, professionis ætatem octavum: aut saltem illius trigessimum, illius verò quintum annum debeant exegisse, cum eliguntur; quia de his id specialiter ab eadem S. Synodo *Sess. 25. cap. 7. de Regular.* statutum est, propter sexus imbecillitatem, ut in c. *Clau in cunctis* cit. notant Panormit. n. 6. & Fagnanus n. 120.

Quinto, Ad cæteras dignitates seculares vel personatus, quibus cura animarum nulla subest, clericis aliquibus vicariis & viginti duobus annis non minus adfiscantur, inquit, Laudata Synodi PP. *cap. 12. cit.* in qua ætate dictæ dignitates sine ulla dispensatione, licet curatas, inchoatò vigesimo quinto anno obtineri hodie posse, cum Flaminio de *Resignat. Lib. 4. q. 11. n. 14.* Garcia *cap. 4. n. 55.* & aliis docet Palæo *Tract. 19. dist. 4. p. 3. n. 6.* eâ præcipue per motus ratione; quod *cit. cap. 12.* non fiat ulla mentio dispensationis: sed eodem tenore, quò ad curatas, antequam vigesimum quintum annum attingerent, non curatas dignitates, si viginti duobus annis sit minor, neminem dicat adfiscandum. Unde tamen.

Dubium de dicto anno vigesimo secundo oritur imprimis, an debeat esse completus. Sufficere inchoatum censent Saà *V. Beneficium n. 31.* & Azor *p. 1. Instit. lib. 6. cap. 5. q. 3.* propter paritatem cum vigesimo quinto requisito ad dignitates. Sed paritas non est; quia Tridentinum diversimodè loquitur de istò curatis; & de illò non curatis obgnitatibus præscriptò; illum enim nulli attingi,

attingi, quod verificatur de eo, qui vigesimum quintum inchoavit: istum autem præscribens exigit, ut clericus 22. annis non sit minor, ad quod verificandum requiritur vigesimus secundus annus completus, sicut ut quis non sit minor unò vel primò ætatis annò, ut hunc impleverit, exigitur, Mandol. de Ætat. Min. cap. 5. n. 10. Lessius Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 108. & Garcias cit. cap. 4. n. 70. ubi, à Tridentino vigesimum secundum completum exigi, à S. Congreg. Card. Interpp. sæpe declaratum, affirmat.

8. Dubium deinde est, an vigesimus secundus annus etiam requiratur ad dignitates Ecclesiarum Collegiatarum; id enim cum Riccio Prax. Fori Eccles. de eis. 331. n. 1. negat Barbosa alleg. 60. n. 67. quòd Tridentinum de solis Cathedralibus loquatur; ideòque Collegiatarum relinquendæ videantur sub dispositione Juris communis, arg. l. Precipimus 32. C. de Appell. Verùm, Concilium illud non de solis Cathedralibus loqui, clarè delimitur ex verbis, In Ecclesijs præsertim Cathedralibus, cit. cap. 12. pr. nam vox Præsertim implicativa denotat idem Juris esse in opposito, ut idem Barbosa Traët. de Dis. Usufreq. V. Præsertim à n. 3. tradit. Confirmatur; quia, si cap. eis. dispositio dignitates Collegiatarum non includeret, ad istas hodie major ætas necessaria foret, quàm ad Cathedralibus; quia Jure Communi, quod can. Innovamus 3. dist. 60. & c. Cum in concilio eis. habetur, secundum communiorem explicationem ad quamlibet; ac proinde etiam ad Collegiatarum Ecclesiarum dignitatem exigebatur vigesimus quintus annus inchoatus, ut observant Fagnanus l. cit. n. 48. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 10. rectè addens, ad dignitates Principales in Collegiatis etiam Ecclesijs, quòd curam animarum annexam fere habeant, ho-

dièque vigesimum quintum annum inchoatum requiri.

Neque dictis obstat textus, c. Unicus in 6. ad dignitates & personatus solum exigens vigesimum annum completum; quia hac ætate ad eas promoveri permittuntur per viam dispensationis sive relaxationis Juris communis ab Episcopo obtinendæ, manifestò indicio, ad eas ordinariè majorem ætatem requiri, cit. Garcias cap. 4. à n. 58. & Palao n. 7. in fine.

9. Sextò, ad canonicatus, præbendas & portiones Ecclesiarum Cathedralium olim maxima controversia inter DD. fuit, an sufficeret septennium, vel decimus quartus ætatis annus requireretur, ut videre est apud cit. Fagnan. n. 52. Ea tamen sublata est à Concilio Trident. cit. cap. 12. ad illas requirentem ætatem, quam Canonicatus exigit ratione Ordinis, quem annexum habet: vel saltem, quæ requiritur, ut talis Ordo intra annum recipi possit. Quare hodie canonicatus, si Presbyteratum vigesimò quartò, si Diaconatum vigesimò secundò & si Subdiaconatum exigat, vigesimò primò ætatis annò inchoatò poterit obtineri; quia in tali ætate constituti requisitos Ordines recipere intra annum possunt, Fagnanus ibid. n. 68.

Excipiendus tamen imprimis est casus, quò ex primæva institutione, statutò vel consuetudine præbenda conferri non potest, nisi ei, qui actù est Sub-vel Diaconus aut Sacerdos; tum enim ad istos Ordines de Jure requisiti anni adesse debent tempore collationis, Fagnanus ibid. n. 67. Dein, Canonicus Pœnitentiarius, à quo præterquam, quòd SS. Theologiæ vel Canonum Doctòr aut Licentiatus esse debeat, ætatis annum quadragesimum vel impletum, vel saltem, quòd probabiliùs est, inchoatum esse, est

O o o      necesse,

necesse, ex dispositione Tridentini *Sess. cit. cap. 8. de Ref. Azor cit. cap. 5. q. 6. & Palao cit. p. 3. n. 17.* Denique excipiendæ sunt Ecclesiæ, in quibus *cit. cap. 12.* Decretum, quoad annexionem Subdiaconatus, usu non observatur, ut in Germania nostra, in cujus pluribus Ecclesiis Cathedralibus canonici aliqui nullò Ordine sacrò initiati reperiuntur: & propterea, ad suffragium in Capitulo ferendum, non admittuntur, juxta *Clement. 2. hic & Trident. Sess. 22. cap. 4. de Ref. Pirrhing l. cit. n. 12.*

10. Septimò, ad canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum, etiam Insignium, sufficit decimus quartus annus inchoatus. Non quidem, ut Aliqui volunt de Jure antiquo; quia, hòc spectatò, si canonicatus ratione Ordinis majorem ætatem non exigebat, septennium sufficiens fuisse, plures existimant cum Panormit. *in c. Praterca 5. n. 6.* neque etiam ex Tridentini dispositione speciali; quia Concilium hoc de ejusmodi canonicatibus expressè nihil statuit, *cap. 12. cit.* sed generali, quatenus scilicet statuit, ut nullus beneficium Ecclesiasticum obtineret ante annum ætatis decimum quartum *Sess. 23. cap. 6. de Ref. saltem inchoatum; quod à Congreg. Card. Interpp. declaratum, testes sunt Garcias cit. cap. 4. n. 11. & Barbosa cit. alleg. 50. n. 71.*

11. Octavò, licet Jure antiquò ad cætera beneficia simplicia sufficeret septennium, laudatum tamen S. Concilium pueros inhábiles reddidit ad beneficia quæcunque, antequam ætatis annum decimum quartum saltem inchoârint, *cit. cap. 6.* quod ab iisdem declaratum, asserunt *cit. Garcias n. 11. Barbosa n. 76. & Fagnanus n. 87. & 88.*

12. Eandem ætatem, licet olim septennium sufficeret, hodie ad pensionem Ecclesiasticam requiri, verisimiliùs existi-

mant Garcias de Benef. p. 1. cap. 4. n. 159. Vallens. *Traët. eòdem, lib. 4. Tit. 1. n. 9. & Palao Traët. 13. disp. 1. p. 11. §. 3. n. 5.* propter stylum Curie, qualitates obtinentis beneficium, etiam exigentis in eo, qui obtinet pensionem: qui stylus Jus facit, *c. Quam gravi 6. de Crimine Falsi.* Confirmatur; quia pensio substituitur locò beneficii saltem simplicis, ideòque sapit ejus naturam, & easdem qualitates exigit in obtinente, ut, qui illius, etiam hujus sit capax, ut eruditè ostendit Sanchez *Lib. 2. moral. cap. 28. n. 36. & Lessius cit. cap. 34. n. 207.*

Neque obstat; quòd Constitutio Tridentini *cit. cap. 6.* correctoria sit Juris antiqui, & expressè non meminit pensionis; quia specialiter edita est in favorem Religionis, exigentis dignam administrationem rerum Ecclesiasticarum: eamque ob causam rectè dicitur in pensionem sub nomine beneficii, quia ea portio seu pars est, comprehendenda, ut à Cardinalibus declaratum, perhibet Garcias *l. cit.*

Dixi autem *Ad pensionem Ecclesiasticam;* quia ad prophanam sive seculari nullam certam ætatem exigi, rectè advertit *cit. Palao n. 4.* Ecclesiasticam ætatem ante decimum quartum ætatis annum obtineri posse, satis probabiliter asseret Fagnanus *in c. Cum in cunctis cit. n. 102.* pro sua Opinione etiam allegans usum, quò primæ Tonsuræ clericis, nullà illius ætatis habità ratione & sine dispensatione, pensiones constituunt; neque earum reservationes ob ejus ætatis defectum infringi à se unquam visum, ait.

Cæterùm hæctenus ad prælatum, aliisque dignitates, beneficia & pensiones Ecclesiasticas requisitam ætatem, non à tempore Conceptionis, neque etiam Baptismi: sed à Nativitatis die computandam:

tandam: & generaliter hominis aetatem, non in utero, sed partu incipere, ex Baldo *Lib. 5. Consil. 19. n. 13.* rectè monet, & S. Congreg. Card. declaratione firmat *cit.* Fagnanus *n. 134.* ut plenius tradetur *Lib. 2. tit. 19. à n. 49.*

14. In ejus quoque, communi Jure requisitæ, defectu ad easdem dignitates & beneficia, atque Ordines etiam, dispensationem à Papa petendam, non obscure defumitur ex *c. Ex ratione 2.* & cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 116.* tradunt *cit.* Garcias *cap. 4. n. 57.* Lessius *cap. 34. n. 108.* Palao *p. 3. n. 21.* & Barbosa *in c. cit. n. 2.* Eadem dispensatio desideratur ad dignitates & personatus non curatos, saltem postquam *c. Unici cit. in 6.* dispositio à Trident. *Sess. 24. cap. 12. §. Ad ceteras de Reformat.* viginti duorum annorum aetatem ad eos exigente, correctæ est, Pirrhing *l. cit. n. 16.* ut adeo hodie legitimam aetatem non habenti, sine Papæ dispensatione facta dignitatis & personatus collatio, ejusq; impetratio: imò electio & præsentatio, utpote de persona inhabili, & contra *cit. S. Concilii formam attentatæ, irritæ sint ipsò Jure, ut colligitur ex c. Lect. 14. de Elect. in 6. ibi, Decernentes collationes viribus omnino carere, & cum Panormit. in c. Ex ratione cit. n. 2. docent cit. Flamin. Lib. 4. q. 9. n. 20. Garcias à n. 82. & Palao n. 21.*

15. Dixi *jure communi*; quia in defectu aetatis in promovendo ad beneficium, non illò, sed speciali tantum alijus Ecclesiæ statutò vel Consuetudine requisitæ, dispensandi facultatem Episcopo, & sede vacante, Capitulo competere, cum Laiman *in c. Ex ratione cit. n. 2.* tradit laudatus Pirrhing *n. 17.*

ARTICULUS II.  
De eorum Ordine.

SUMMARIUM.

- 16. Primam Tonsuram beneficia quacunq;
- 17. Papatu Exceptò:
- 18. Cardinalatus sacrum, saltem Diaconatus;
- 19. Episcopatus sacrum;
- 20. Saltem Subdiaconatus, Ordinem exposcit.
- 21. Alia dignitates curata exigunt Presbyteratum;
- 22. Intra annum recipiendum, sub periculo amissionis.
- 23. Eundem cætera beneficia curata;
- 24. Et collationis tempore Ordines minores requirunt.
- 25. Sacrum Ordinem Canonicis præscribit Jus modernum;
- 26. In Germania usu non receptum.
- 27. Alia simplicia nullum certum communi;
- 28. Speciali Jure sæpe sacrum Ordinem exigunt.
- 29. In defectu Ordinis Papa;
- 30. Aliquando etiam Episcopi dispensant.

**D**ignitatis & beneficii Ecclesiastici cujuscunque incapacem esse, qui primâ Tonsurâ nondum initiatus, & actu clericus non est, pater ex *c. Cum aded 17. de Rescript. c. Ex literis 6. de Transact. & c. In Ecclesia 2. de Institut.*

16. Excipiendus tamen iterum est Papatus: ad quem electo exceptionem, quòd uxoratus (multò magis, quòd laicus) sit,

0002

cus) sit, opponi non posse, arg. c. Licet 6. ibi Absque ulla exceptione, de Elect. cum Glossa in can. Si quis 9. v. Non Apostolicus dist. 79. in c. Licet cit. tradunt Baldus n. 3. Panormit. n. 4. & Fagnan. n. 15.

18. Ad prælaturas Papatu inferiores, ad dignitates & beneficia cætera, Ordines diversimodè exiguntur. Et primò quidem ad S.R.E. Cardinalatû sacrum aliquem: & pro varietate gradûs, quò in Apostolicâ proxima ea dignitate constituti eminent. Episcopatus vel Presbyteratus vel soliûs Diaconatus Ordinem requiri, patet; cùm hodie omnes Episcopi vel Presbyteri vel Diaconi sint, Gonzalez in c. His que 11. de Majorit. n. 6.

19. Secundò, Episcopatus requirit, ut ad eum evehendus in sacro Ordine sit constitutus, can. fin. dist. 60. & c. A multis 9. hic, sex saltem mensium spatiò, antequam ad illum eligatur, ex Decreto S. Synodi Tridentinæ Sess. 22. cap. 2. de Ref. Deinde, ut intra tres menses à die Confirmationis acceptæ consecratur, sub pœna privationis fructuum perceptorum: & si Consecrationem ultra sex menses culpabiliter differat, ipsius etiam Episcopatus, ipsò Jure incurrendâ, ex ejusdem S. Concilii Decreto Sess. 23. cap. 2. de Ref.

20. An verò sufficiat, sex mensium spatiò fuisse Subdiaconum, dubium est. Et Barbosa quidem id negat de Offic. Episc. alleg. 1. n. 37. exigens, ut omnibus sacris Ordinibus fuerit initiatus; propter can. Offus 9. dist. 61. & Constitutionem Greg. XIV. quæ incipit Onus Apostolica editam 15. Maij 1590. quibus requiritur; ut eligendus ad Episcopatum in Sacris in plurali numero; ac proinde non in solo Subdiaconatus Ordine sit constitutus. Verùm, quia secundum communem loquendi usum etiam, qui Subdiaconus

tantùm est, in sacris dicitur constitutus, probabiliùs Lessius Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 98. Azor p. 2. Instit. lib. 6. cap. 8. q. 1. & Gonzalez in c. A multis cit. n. 11. Subdiaconum in Episcopum eligi posse, affirmant, ut expressè tradunt c. cit. cujus dispositio, sicut à Tridentino, sic etiam à Gregorio XIV. non est revocata; quia hic Papa usus est loquendi modò passim receptò: quò in sacris dicitur, qui habet unum saltem et Ordinibus sacris: qualem esse: & jam à Gregorii M. aut Urbani I. vel II. temporibus fuisse Subdiaconatum, ex can. 1. dist. 30. & can. fin. dist. 60. contra c. in c. cit. notat Gonzalez n. 1. & 6.

Tertiò, ad dignitates Ecclesiasticas, quibus cura animarum aut jurisdictionis fori externi annexa est, ut sunt Abbatis, Præposituræ, Decanatus & Archiepiscopatus, requiritur Ordo Presbyteratus, c. Ut Abbates 1. non quidem, ut quis actu initiatus sit tempore collationis: sed, ut habilis sit ad illum recipiendum: intra tempus à Jure præfixum, hoc est, intra annum, Clement. 2. Panormit. in c. Cum in cunctis 7. §. Inferiora de Elect. pr. & Fagnanus in §. cit. n. 10. Quòd si verò dictum Ordinem intra annum recipere monitus culpabiliter omittat, ab ejusmodi dignitate removendus est, c. 1. cit. Unde

Dubium oritur de casu, quò ab Ordinis receptione justâ aliquè causa prohibetur: & quidem, si spectentur verba textûs c. 1. cit. Prælationes live dignitates illas per sententiam amittere debent: quæ cum Glossa ibi v. Amittant passim explicari solent de casu, quò impediuntur Ordinum contractum et propriâ culpâ, v.g. ex rixa, quâ factus est irregularis. Quam ejus explicationem amplectitur & propagat Fagnanus in c. cit. n. 34. Verùm hæc explicatio

applicatio textum nimis restringit. Quare melius Laiman in *c. cit. n. 1.* distinguit inter impedimentum temporale & non diu duraturum, quò, undecunque proveniat, ab Ordine intra præscriptum tempus suscipiendo justè impeditos ab Abbatibus non removendos, censet: & impedimentum perpetuum aut valde diu duraturum, quò, etiãsi justum sit, laborantes Abbatibus &c. privandos, docet ex ratione; quòd beneficium detur propter officium, *c. fin. de Rescript. in 6.* & propterea illius collatio includat tacitam conditionem recipiendi Ordinem, præsertim quando hic necessarius est ad officium exequendum. Ita cum *cir. Laiman Pirrhing ad hanc Rubric. n. 39.* & Engel *Lib. 1. Tit. 6. n. 18.* specialiter autem sacer, & quidem Presbyteratus Ordo exigitur in Abbatibus & Prælatibus quibuscunque, habentibus potestatem conferendi primam Tonsuram & Ordines minores, ut desumitur ex *c. Cum contingat 11. & in c. 1. cit.* advertit Panormit. *n. 5.*

23. Quartò, eundem Presbyteratus Ordinem, sive ejus intra annum recipiendi aptitudinem, exigunt parochialia & alia beneficia curata, *c. Licet 14. de Elect. in 6.* ubi ad ejusmodi beneficium promotus, si cessante justò impedimentò, intra annum, à die acceptæ pacificæ possessionis computandum, Ordinem Sacerdotalem non recipiat, illò ipsò Jure privatur, Laiman in *§. Inferiora cit. n. 3.* & Fagnanus *ibid. n. 10.* Præterea, qui ad ea promovebantur, olim Subdiaconatu, *c. Præterea 5.* hodie verò minoribus saltem Ordinibus esse debent initiati, *arg. c. Si pro clericis 8. de Præbend. in 6. & c. fin. de Instit. in 6.* ubi, dum in iis non exiguntur Ordines sacri, tacitè insinuat, iis necessariis esse Ordines minores, Fagnanus in *c. Præterea cit. n. 6.* cum enim utròque hòc textu Jus antiquum *c. Præterea cit.* corrigatur: &

Ordinum duntaxat sacrorum, neutrò verò minorum, mentio fiat, quoad istos eòdem Jure antiquò necessario requisitos, nihil immutatum, *arg. 1. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat. & c. Cum expedit 29. de Elect. in 6.* cum Hostiensis in *c. Ad Apostolicam 16. de Regular.* aliis Interpp. docet Fagnanus in *c. Præterea cit. n. 6.*

Quintò, in canonicis, tam Collegiatarum quàm Cathedralium Ecclesiarum, Jure quidem antiquò sacer Ordo non exigebatur, Glossa in *Clement. 2. V. Officiu.* Postea tamen vox in capitulo adempta est omnibus, qui sacrum saltem Subdiaconatus Ordinem non haberent, *Clement. cit.* Eandem sive jus suffragii in capitulo etiam amittunt, qui obtinent dignitates, personatus vel officia, Diaconatus vel Presbyteratus Ordinem annexum habentia, si dictos Ordines, justò impedimentò cessante, non recipiant intra annum, *Clem. cit. §. Illi verò.* Denique Trident. *sess. 24. cap. 12. de Ref.* omnes Cathedralium Ecclesiarum canonicatus, aut etiam portiones annexum habere voluit Ordinem sacrum, ut canonicorum dimidia saltem pars essent presbyteri. Quæ S. Synodi dispositio imprimis non procedit in canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum, ut cum Zerola *Prax. Episc. V. Beneficia §. 5.* advertit Barbosa in *Clement. 2. cit. n. 3.* deinde, in Cathedralibus etiam usu *re. 26.* cepta non esse videtur in Germania, in cuius Ecclesiis reperiuntur canonici, qui primà tantùm Tonsurâ initiati & decimum quartum ætatis annum sunt assecuti: etsi tales vocem in capitulo non acquirant, neque integros redditus percipiunt ante receptum Ordinem Subdiaconatus, Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 47.*

Sextò, de Ordine promovendorum ad cætera beneficia simplicia Jure communi nihil est constitutum. Unde sacrum Ordinem eò solùm casu exigunt, quò id



in fundatione vel statuto cautum, aut consuetudine introductum est & observatum, Azor *cit. cap. 8. q. 12.* Qua in re tamen adhibenda est distinctio; vel enim in ejusmodi beneficii fundatione in clerico id obtinente expressè requiritur, ut sit Sacerdos, aut Missas legat, aliòsve actus à sacro Ordine dependentes per se ipsum & personaliter exercent? & tum, ut fundationi satisfiat, clericum in illo institutum sacerdotem, vel aliò sacro Ordine initiatum esse, omnino est necesse, juxta Decretum Tridentini *sess. 25. cap. 5. de Ref.* ejusque declarationem relata à Garcia *de Benef. p. 7. cap. 1. n. 99.* Vel hoc ejusmodi aut æquivalentibus verbis non expressum: sed præcisè cautum est, ut capellanus Missas celebret, aut Divinis officiis inserviat? & tum, licet idem dicendum videatur & fieri debeat, de rigore tamen à beneficiato, sacerdotiò vel aliò sacro Ordine non initiatò, fundationi satisfieri, si ejusmodi actus exercent per substitutum, à S. Congreg. Card. Interpp. declaratum & à Rota decisum refert *cit. Garcias n. 86.* quòd ex generali Consuetudine in beneficiis simplicibus residentia & servitium personale non exigatur, eisque respondens officium obiri per alium possit.

29. Cæterum quantumvis, sicut in ætate, sic etiam in Ordine, Jure communi ad beneficia, & dignitates præsertim Ecclesiasticas requisitò, regulariter solus Papa dispenset: Episcopi tamen imprimis olim, cum in promovendis ad beneficia parochialia Ordo Subdiaconatus requireretur, ad illa obtinenda cum constitutis in minoribus, dummodo intra breve tempus sacerdotium recipere possent, dispensare poterant, ex concessione Alexandri III. *6. Præterea 5.* relata. Deinde, cum ejusmodi beneficia obtinentibus & intra annum Subdiaconatu initiatis ex causa stu-

diorum, si ad hæc essent idonei, & intra annum Subdiaconatum suscipere, ut presbyteratum recipere non tenebantur, ad septennium dispensare permittuntur à Bonifacio VIII. *c. Cùm ex eo 34. de Elef. in 6.* ut ibi notant Laiman *n. 1.* & Barboza *n. 4.* qua de re fermo redibit *Lik. 3. Tir. 4.* Denique & à fortiori, Episcopos cum clericis, beneficia simplicia, residentiam personalem non exigentia, obtinentibus etiam sine obligatione suscipiendi subdiaconatus, dispensare possunt, obicit laudatus Pirrhing *n. 48.* Waggebeck *in c. Cùm ex eo cit.* & ante eos Laiman *in c. cit. n. 2.* ubi contra Tridentinum non agi, ait, ab Episcopis & capitulis Cathedralibus Germaniæ nostræ, quando hæc Ecclesiæ canonicatus conferunt adolescentibus quatuordecim annorum: qui interea, donec ætatem ad suscipiendum sacrum Ordinem requisitam assequantur, studiis operam navant: & si officium Divinum recitent, redditus beneficii, distributionibus exceptis, in absentia percipiunt.

## ARTICULUS. III.

## De cæteris Qualitatibus eorundem.

## SUMMARIUM.

31. *Præficiendo necessaria est Scientia.*
32. *Præsertim Episcopo:*
33. *In quo Scientiam Theologicam.*
34. *Et SS. Canonum notitiam præcipue exigentium Opiniones.*
35. *Conciliantur.*
36. *Quanta scientia Cardinalibus.*
37. *Præsertim inferioribus, curatis.*
38. *Et cæteris beneficiatis necessaria sit.*
39. *An sufficiat Gradus sine Scientia.*
40. *Præficiendi, etiam graves meriti.*

- 41. Immunes a censura & irregularitate,
- 42. Et qualitatibus, in fundatione præscriptis, præditi esse debent.
- 43. Alicubi ad canonicatus soli Nobiles recipiuntur :
- 44. Qui mos variè impugnatur.
- 45. Variè etiam defenditur.
- 46. Non quidem Jure communi.
- 47. Vel particularium Ecclesiarum statutis.
- 48. Sed instrumentis Fundationum,
- 49. Et privilegii Apostolicis :
- 50. Quibus minorem vim habent approbatio tacita Pape :
- 51. Consuetudo, etiam immemorialis,
- 52. Et ratio pro more illo deducta.

31. Præter ætatem & Ordinem, ad dignitates & beneficia Ecclesiastica promovendi, instructi esse debent Scientiâ literarum, necessariâ ad annexum illis officium ritè obeundum, arg. c. fin. de Rescript. in 6.

32. Et primò quidem, Episcopus eâ sacrarum rerum Scientiâ præditus esse debet, quâ alios in sana doctrina cohortari, & eos, qui contradicunt, arguere possit, secundum Apostolum ad Titum cap. 1. v. 9 & 1. Timoth. cap. 3. v. 2. Unde omnino illiterati ad Episcopatum electionem, & provisionem ipsò Jure irritam, ex c. fin. desumi solet. Si verò, non quidem omnino illiteratus, sed tamen sufficienter doctus non sit, à superiore irritanda est, c. Qualitas 17. ibi, Quia nec donum scientiæ Pontifici conveniens fuerat assensus &c. electionem auximus irritandam, & c. Dudum 22. de Elect. quia, carens literis, sacris non potest esse aptus officiis, can. Illiteratus 1. dist. 36. Imò talem ad Episcopatum resignandum in conscientia teneri, docet Laiman in c. fin. cit. n. 1. ubi tamen monet, eum, qui debitam, quam non habet, scientiam intra tempus

non longum acquiri à se posse, speraret, Prælaturâ cedere in conscientia non teneri.

Dubium, atque inter Theologos & Canonistas magnò utriusque partis studio olim, & hodie quoque agitata controversia est, an ad Episcopatus administrationem sacræ Theologiæ, vel SS. Canonum peritus aptior : & uter in promotione ad illum alteri sit præferendus. 33.

Illi suam Scientiam & meritò commendant; quòd sacrarum prophanarumque disciplinarum omnium sit Princeps : & ex Divinis Oraculis deprompta veræ Fidei Morumque præcepta, atque ad populum Christianum verbi Divini prædicatione pascendum, ad regendas conscientias & in salutis semita confirmandas, ad Gentilium & Hæreticorum errores & prava dogmata confutanda convellendaque, quæ Pastoralis muneris præcipuæ partes sunt, necessariam doctrinam ex proprio officio & munere suo tradat.

Isti contra, Episcopale officium hodie potissimum versari, asserunt in causarum, ad externum Ecclesiæ forum deductarum, cognitione definitioneque : atque etiam in dandis penè quotidie Ecclesiæ ministrorum Ordinationem officia & beneficia, prælatorum electiones & confirmationes, patronatûs decimarum aliorumque proventuum & Immunitatum Ecclesiasticarum jura, istorum & rerum ad Ecclesias pertinentium conservationem alienationemque, vota, juramenta, matrimoniorum impedimenta eorumque relaxationes, pias fundationes & ultimas voluntates, irregularitates, censuras aliasque poenas Ecclesiasticas spectantibus, & sæpe difficillimis responsis ac decretis : quæ quantumcunque profundus Theologus sine sanctionum Ecclesiasticarum accurata notitia expedire vix, & ne sic quidem potest, ut probè agnovit S. Synodus

Synodus Tridentina, in Episcopalis jurisdictionis & administrationis, vacante Sede, principaliter penes capitulum residentis, Vicario exposcens, ut saltem sit Doctor in Jure Canonico vel Licentiatius, *Sess. 24. cap. 16. de Reformat.*

35. In utramque controversiæ partem summam deductis rationibus, salvo meliori iudicio, id omnino evinci existimo, plenè ritèque obeundo muneri Episcopali parem, neque sine sacrorum Canonum peritiâ Theologum, neque sine sacra Scientia Theologica Canonistam esse; atque idcirco magnopere optandum; ut, quod Concilium Toletanum IV. *c. 24. can. 1. dist. 38* relatò, salubriter monet, Sacerdotes, & præsertim Ecclesiarum prælati, *Sciunt Scripturas sanctas & Canones; ut adificent cunctos, tam Fidei Scientia quam Operum disciplinâ*: cui similia, ex decretis Conciliorum, rescriptis Apostolicis & SS. Patrum sententiis deprompta, referuntur *can. Nulli 4. can. Omnes 6. can. Placuit 7. dist. cit. &c.* Quod si, qui utrâque Scientiâ excellat aut instructus sit, in Ecclesia non inveniretur, in locis, in quibus Divini Verbi prædicatio, regimen animarum in Foro conscientiæ interno, Fidei Catholicæ explicatio & contra Hæreticorum errores defensio ipsis Episcopis, ut in primitiva Ecclesia & nostris etiam temporibus in variis Provinciis, incumbit, Theologum: ubi contra causarum Ecclesiasticarum ventilatio, Ordinatio Ecclesiæ Ministrorum, rerumque & iurium Ecclesiasticorum tuitio, correctio morum criminumque punitio & cætera administratio Episcopalis ab ipsis per se obeunda est, Canonistam censeo præferendum. Cui meo hac de re sensui iterum patrocinari potius quam adversari videtur S. Synodus Tridentina; cum, si ab Ordine literæ, Scientiæ dignitatem præcipue spectantis, argumentum

non ducamus, ad vacantes Ecclesias Cathedralis Theologum & Canonistam aequè idoneos: & propterea, si Provincialis necessitas & in ea vigentis officialis ratio specialis, alterum alteri præferri, non exigat, utrumlibet assumendum, decrevit *sess. 22. cap. 2. de Ref.*

Eadem aut majori quàm Episcopalis Scientiâ pollere debent, qui assumuntur ad Cardinalatus; quia summo Pontifici assistunt, eumque in regenda universali Ecclesia consilium juvant, secundum *Trid. sess. 24. cap. 1. de Ref.*

Tertio, prælati Episcopis inferioribus, quorum dignitati annexa est cura animarum & jurisdictio in Foro externo exercenda, scire debent Jura & SS. Canones; quia secundum istos iudicare & sententiam ferre debent, Panormit. *c. cum in cunctis pr. n. 4.* & Galii Interpr. relatis Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 6. q. 2. §. de chidiaconi*. Parochi verò alique, exerceutes curam animarum in Foro interno, scire debent necessaria ad Baptismi, Penitentia aliorumque Sacramentorum administrationem ritè obeundam & intendendum fidelem populum in iis, quæ animarum salutem spectant, *can. Qua ipsi 5. dist. 38. & c. Cum sit 14. hie, Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 4. à n. 6.*

Quarto, canonicis aliisque beneficiatis simplicibus, spectatò Jure antiquo, Scientia major necessaria non est eâ, quam susceptio & exercitium sacri Ordinis, quem habent, requirit: & si ejusmodi Ordinem aut aliud munus præter Divini Officii recitationem non habent, quæ ad hanc sufficiens est, *cit. Gonzalez n. 73. Flamin. de Resignat. lib. 4. q. ult. n. 10. Garcias de Benef. p. 7. cap. 7. n. 8. Sp. Statò*, inquam, *Jure antiquo*; quia Novissimò Jure & secundum decreta Retormatoria Concilii Tridentini, Doctoratus vel Licentiatii SS. Theologiæ vel Juris Canonici

bonici esse debent, imprimis Episcopus: vel saltem publico alicujus Academiæ testimonio ad docendos alios idoneus judicatus, *Seff. 22. cap. 2. cit.* Archidiaconus, intellige, principalis, qui jurisdictionem contentiosam Fori externi habet; cujus officium in Germania passim gerit Vicarius Generalis, *Seff. 24. cap. 12.* Scholasticus *Seff. 23. cap. 18.* Pœnitentiarius in Ecclesia Cathedrali *Seff. 24. cap. 8.* & Vicarius Capituli sede vacante, *Seff. 24. cap. 16.* quos tamen, si nullò quidem ejusmodi Gradu insigniti, sed aliàs valde idonei sint, ab ejusmodi officio Concilium non rejicere videtur. Ejusmodi Doctoratu aut Licentiâ ornati, ut assumantur ad dignitates omnes & dimidiam partem canonicatum Cathedralium & Collegiatarum insignium Ecclesiarum, idem sacrum Concilium hortatur *cit. Seff. cap. 12.* Ex quibus decretis.

39. Dubium oritur de eo, qui ejusmodi Gradum Literarium obtinuit sine Scientia. Quem invalidè promovendi, aliqui desumunt ex eo; quòd ejusmodi Gradus non sui, sed Scientiæ gratiâ exigantur, præsertim in Episcopo; quem S. Synodus exigit, ut sit Doctor vel Licentiatus in studiorum Universitate meritò promotus. Nihilominus promotionem ejus, qui minùs quidem, quàm ejusmodi Gradus exigeret, non tamen omnino illiteratus est, & sufficientis Scientiæ obtinendæ spem habet, atque insuper Doctoratum vel Licentiam in Foro externo validè consecutus est, licet irritari valeat, validam tamen esse, sicut benignior, sic etiam communior est sententia DD. partim; quòd ad Gradum validè promotis competant privilegia Graduatorum: eorùmque ad prælaturas dignitates & beneficia, ejusmodi Gradum exposcentiâ, assumptio nullò Jure irritetur, etsi Gradu fuerint indigni, *Garcias cit. cap. 1. n. 30. Azor cit. cap. 6. q. 1. & Barbosa de*

*Offic. Episc. alleg. 55. n. 5.* ex cujus tamen doctrina tales, Naturali & Divinò Jure in Conscientia tenentur comparare Scientiam ad officium sufficientem, vel assumere adjuutores, quorum consiliò & operâ, in illò ritè obeundo, adjuventur.

Præterea in præficiendis requiritur 40. gravitas sive honestas Morum; quia ex ea existimatio status Ecclesiastici & Christiani populi edificatio præcipuè pendet; ideòque in eam qualitatem, an in promovendis ad dignitates & beneficia Ecclesiastica reperitur, SS. Canonum conditores præcipuè inquirent, *c. Cum in cunctis cit. pr. c. Eam te 4. Clement. 1. hic e. Græve 29. de Præbend. & novissimè Trident. Seff. 24. cap. 12. cit.* & ab iis arceri voluerunt criminosos, hoc est, accusatione ac damnatione dignos, publicè noti & non emendati criminis reos, *can. Unum 3. pr. V. Nomine dist. 25. & quoscunque Juris aut facti infamiâ laborantes, c. Inter dilectos 11. de Excess. Prælat. & Reg. Infamibus 87. in 6.* quales quinam à Jure censentur, patet ex l. 1. ff. De his qui infam. not. & can. Infamibus 16. q. 1.

Denique in iisdem exigitur, ut nullâ censurâ vel irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu proveniente, sint irretiti: atque insuper carnalis conjugii vinculo non sint ligati, *c. Sanè 2. de Clericis conjug. ubi hæc de re sermo redibit.* 41.

Præter hæcenus relatas, & Jure 42. communi requisitas qualitates aliquando ex Fundatione, statutò, legitimè præscriptâ Consuetudine vel Privilegio beneficia conferri debent Fundatoris consanguineis, aut ex certa familia, civitate, provincia oriundis, vel Doctoreò, aliòve Gradu Literariò conspicuis personis; ut, cum ejusmodi qualitate præditæ potest, alteri quantumvis aliàs idoneæ personæ facta collatio non subsistat, aut rescindi possit, *Covarruv. in Reg. Peccatum p. 2. §. 7. n. 5. & cit. Garcias cap. 13. à n. 1. Ubi*

43. Dubium est de qualitate Nobilitatis; hæc etiam solâ carentes, licet aliâs maximè idoneos clericos, Germaniâ nostrâ Metropolitanarû & Cathedraliû Ecclesiarû complura Capitula ad earû dignitates, personatus, canonicatus ac præbendas non admittunt. Jure an injuriâ, quæstio percelebris, & inter clericos Generis sive sanguine, & solâ Scientiâ rerûmque Ecclesiasticarum experienciâ Nobiles olim hodiè que agitata controversia est.

44. Et hi quidem suam ab Ecclesiarum illarum dignitatibus, canonicatibus &c. exclusionem, tanquam à Jure & ratione alienam, impugnant. Primò rescriptò Gregorî IX. *c. Venerabilis 37. de Præb. & dignit.* Cathedralis Capituli Argentinensis, minùs probatâ nobilitatis clericum de præbenda in sua Ecclesiâ à Legato Apostolico provisum, repellentis & pro se *Consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum nisi nobilem & liberum & ab utroque parente illustrem in suum consortium hætenus admiserant*, allegantis, exceptionem non admittentis: sed clericum illum ad præbendam vacantem recipi mandantis, luculentò argumentò, clericos Scientiæ ac Virtutum ornamentis claros ab Ecclesiarum illarum capitulis ob solum antiquæ nobilitatis defectum injuriâ excludi.

Secundò, sine institutionis beneficiorum; beneficium enim, cujuscunque Ecclesiæ sit, ex sua institutione datur propter officium, *c. fin. de Rescripte. in 6. & l. Generaliter 50. §. 1. C. de Episc. & cleric.* sive propter spirituale ministerium in Ecclesiâ exhibendum Deo, *c. Quia nonnulli 3. de Cleric. non resid.* ad hujusmodi autem ministerium ac servitium Deo exhibendum non minùs, imò multò plus Scientiæ ac Virtutis quàm Sanguinis nobilitas confert. *can. Nos qui 3. dist. 40. & c. Venerabilis cit. & Ecclesiam magis*

quam ista ornata, hòc ipsò; quòd in Secularis & Ecclesiastica Reipublica regimine clari sanguinis defectus rerum scientiâ ac virtute suppletur, ex mente Angelici & illustri genere orti Doctoris de *Regimine Lib. 4. cap. 13.* Tiraquell. de *Nobilitate cap. 4. n. 3.* & Cochier *Lib. 1. Politic. cap. 4.*

Tertiò; quia Christus Dominus in Collegium Apostolicum sine discrimine nobiles & ignobiles, & ex his plures cooptavit; cum nobiles fuerint Paulus tantum & Bartholomæus: cæteri vero Apostoli ignobiles, ferèque piscatores ac pueres, textus & Glossa in *c. Venerabilis cit. V. Non multos, ubi* Panormit. *n. 4.* Vivianus *pr. & Barbosa n. 6.* Cum ergo omnis Christi actio nostra institutio illi Petri *Episc. 1. cap. 2. v. 21.* in institutionibus sive Ecclesiarum & beneficiorum collationibus ex Scientiâ rerumque spiritualium usu & Virtute proveniat personarum idoneitas potius, quàm splendore originis spectanda, nemòque illi natus ex eo duntaxat, quòd non sit nobilis, ab Ecclesiis earumque beneficiis, officii est removendus, *c. cit. & c. de decorem 5. de Institut.*

Quartò, quòd, sicut non est apud Deum, *c. cit.* sic neque in Ecclesiâ esse debeat acceptio personarum; cum, postquam *Per incarnationem Christi gratia fidei ubique dilatata est, in omni genere, qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus sit: nec electio muneris quæritur in successione generis, sed in perfectione vite & sinceritate scientiæ.* *textus est §. His ita post can. Recurrat 32. q. 4.* nulliusque Ecclesiasticæ dignitatis nomen ita sublimè sit, ad quòd Virtus & Scientia non ascenderit: & cum B. Petrus ad ipsum culminis summæque in Ecclesiâ dignitatis apicem plures pertigerint, quæ Generis nobilitate; ut mirum sit, quæ

ratione sine hac via illi ad inferiorum Ecclesiarum canonicatus ac præbendas simplices præcludatur.

Quintò demum; quòd ea clericorum ignobilium ab Ecclesiarum illarum & Capitulorum gremiis exclusio ullo speciali Jure non fulciatur: sed originem ducat à potentia ipsius nobilitatis, iis præsertim temporibus, quibus literarum Scientia & bonarum artium studium in Germania planè exulabat, sensim prævalentis, & tandem minùs probatæ nobilitatis clericos, quibuscumque dotibus aliis excelleret, penitus excludentis; ut jam in Ecclesiis compluribus pingues præbendarum proventus percipiant, qui sanguinis splendore: qui verò Divinarum humanarumque rerum Scientiâ & usu præstant, annexò illis spirituali officio, vicariò plerumque nomine ac jure, perfungantur.

¶ Non desunt tamen defensionis præsidia Nobilitati, deductis contra se hisce argumentis opponenti Primò, Institutionem suarum Ecclesiarum; has enim à Regibus, Ducibus, Comitibus fundatas, constructas & amplissimâ dote instructas, ajunt, intuitu seu contemplatione sibi cognatæ aut aliàs illustri ac nobili juvenutis; ut felicitet ea, in timore Dei piè educata, sanctioris vitæ conciperet desiderium, atque ad se divino famulatu in ejusmodi Ecclesiis, olim fere Regularibus, mancipandum ipsa in has majorum suorum liberalitate alliceretur.

Secundò, Ecclesiarum Statuta: imò Privilegia & approbationem, saltem tacitam, summorum Pontificum, de illarum dignitatibus, canonicatibus ac præbendis reservatis aut in mense Apostolico vacantibus, solis clericis claro sanguine ortis providentium, & deferentium exceptionibus Capitulorum, de illis provisos minus probatæ nobilitatis clericos non recipientium.

Tertiò, inveteratam Consuetudinem, sive tempore immemoriali atque ab ipso foundationum limine continuatam observantiam; quâ ad suarum Ecclesiarum dignitates, canonicatus ac præbendas compertæ duntaxat aut legitimè probatæ nobilitatis clericos admissos, ajunt; ut, licet alios quoque admitterent fundationes, & privilegia Apostolica non excluderent, hodie tamen à Capitulis jure tepellerentur vi Consuetudinis, cujus initii memoria non existit; cum talis consuetudo æquiparetur privilegio, *c. Super quibusdam 26. §. Præterea de V. S. C. l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quorid.* ex certa scientiâ à summo Principe concessio. Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 23. n. 4. & alii apud Barbosam in c. cit. n. 7.

Quartò, ipsum Jus; cum sibi non adverteretur antiquum, *c. Venerabilis cit.* quòd hòc textu consuetudo, clericos minùs nobiles ab Ecclesiæ gremio excludens, non reprobata, sed ei tantùm in casu proposito derogatum sit: novissimum autem Jus S. Synodi Tridentinæ non obscure patrocinetur; quòd *Sess. 24. cap. 12. de Reformat. decretò, Ut dignitates omnes & saltem dimidia pars canonicatum in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis insignibus conferatur tantùm Magistris vel Doctoribus aut etiam Licentiaris in Theologia vel Jure Canonico, non præcipiat, sed tantùm hortetur: & quidem solummodo In provinciis, ubi id fieri commodè potest: quâ clausulâ apertè intactas relinquit aut favet Ecclesiis, quarum, ut Germaniæ nostræ complurium, speciali jure dignitates & canonicatus clericis, illustri aut nobili stirpe natis, conferuntur.*

Quintò, Rationem fundatam in maxima æquitate; cum enim Ecclesiæ Dei ornamenti ac splendoris plurimùm accedat à Nobilitate Seculari, & ex ista divino obsequio se mancipientium dignitate ac

P p p 2 multitu-

multitudine Seclas, quæ unquam invaluere, planè omnes Superet, æquissimum est; ut ab ipsa quoque Secularis nobilitas principalium Ecclesiarum prælationibus & quæ ad has gradus sunt, Cathedralium ac Metropolitanarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus ac præbendis honoretur, præsertim; quia prælationibus illis annexi sunt Principatus, Comitatus alii-que dominatus temporales, ad quorum regimen clarè majorum sanguine orti præ aliis idonei sunt: & jam esse censebantur in Rebus publicis, Romana, l. Honor 14. §. 3. ibi, *Item origo natalium ff. de Munerib. & honor. & l. Honores 7. §. 2. ff. de Decurion. & Atheniensis*, quæ tunc maximè floruisse perhibetur ab Halicarnass, Lib. 2. *Quando patricios, penes quos fuit civitatis regimen, ex illustribus familiis deligebat.*

46. In ambitiosò hòc pro & contra utramque, Generis & Scientiæ Virtutisque, nobilitatem certantium dissidiò eorum, quæ ad factum seu Foundationum & Privilegiorum instrumenta & Statutorum tenorem, ad Consuetudinis introductionem & antiquitatem pertinent, examine omisso, Juris duntaxat pro Capitulis, Doctores ad gremia sua non admittentibus, deducti vim discutere juvabit.

Et Jus quidem Ecclesiæ scriptum eis non patrocinari, exploratum est; cum hoc in provisione beneficiæ quacunquè Sanguinis potius, quàm Scientiæ nobilitatem morumque honestatem spectantibus, *can. Nunquam 4. dist. 46. can. Moyses 6. ibi Ut sciamus, non sanguini, sed viæ deferendum, 8. q. 1. & c. Ad decorem 5. de Institut. non obscure; & perspicuè omnino adversetur, can. Nos qui 3. dist. 40. §. His ita post can. Recurrat & c. Venerabilis cit.* quorum textuum postremò pro Capitulo Argentinensi allegatæ Consuetudini antiquæ, non tam derogatum,

quàm in ea, tanquam non scripto & Consuetudinario Jure, fundatam exceptionem omnino rejectam, planum est ex *cit. §. Nos igitur tenore, & ibi cum Glossa 7. Consuetudinem* notant Panormita, Vivianus *pr. Barbosa n. 5. Laiman n. 7. Wagnereck pr. & alii passim.*

Neque Graduatorum exclusionis alium favorem præstat Concilium Tridentinum *cap. 12. cit.* inferendò clausulam, *Ubi id fieri commodè potest;* cum Concilii PP. ut dignitates omnes & canonatum dimidia pars Graduatibus conferretur, seriò hortentur: clausulam autem illam adjecerint, non tam intuitu præteritivæ nobilitatis quàm foundationum, alio quoque clericos idoneos admittentium, aut certa qualitate præditos exponentium: uti & propter Graduatorum penuriam, quæ Concilii illius celebrati tempore in Germania nostra aliisque partibus Septentrionalibus maxima fuit: & si tanta non fuisset, hæresis in eis tanta Ecclesiarum jactura & Religioni Catholicæ detrimento nunquam intro-  
luisset.

Eam etiam Graduatorum exclusionem non cohonestant Ecclesiarum Statuta particularia, sedis Apostolicæ auctoritate non confirmata; cum enim notè *Tit. 2. n. 34.* declarati Juris Regula sit, sacris canonibus contrarium aliquid licitè à prælatis & communitatibus Ecclesiasticis non posse, *can. Ecclesiastica 12. c. 25. q. 2. c. Quod super 9. c. Cum inferior 16. de Majorib. & obed. & Clement. de Romani 2. de Elect.* ad Graduatorum exclusionem vergentia statuta, tam Capitularia quàm Episcopalia, viribus ac valore destituentur, ut cum *cit. Panormita, Rebuffo Tract. de Nominat. q. 15. n. 3. & aliis in c. Venerabilis cit.* notant Barbosa *n. 5. Wagnereck pr. & Pirrhing ad Rati. de Prab. & dignit. n. 111. not. 2.* Fundatè

48. Foundationum instrumenta, si quæ extant & clericis, Scientiâ duntaxat ac Virtute nobiles ab Ecclesiarum dignitatibus & canonicatibus excludunt, & Genere duntaxat nobiles admittunt, efficax patrocinium præstant; cùm enim foundationibus Ecclesiarum conditiones, vi quarum beneficia personis certâ duntaxat qualitate præditis conferantur, apponi Jure permittantur, arg. can. *Decernimus* 16. q. 7. c. *Illud* 8. in fine de *Jure Patronat.* & l. *In traditionibus* 48. ff. de *Patris*, & illis appositæ observandæ sint, ex decreto Concilii Tridentini *Sess.* 25. cap. 5. de *Reformat.* & Rotæ *decisione* relata à Garcia p. 7. de *Benef.* cap. 15. n. 4. dignitates, Canonicatus ac præbendæ, quæ clericis clari Genere ortis destinatæ in foundationibus sunt, talibus duntaxat conferendæ erunt: dummodo sint idonei & annexum illis officium spirituale per se obire possint, arg. c. *fin. de Rescript.* in 6. & l. *Generaliter* 52. §. 1. c. de *Episc. & cleric.*

49. Simili modò Indultis seu Privilegiis Apostolicis tuta sunt Germaniæ nostræ Capitula, quæ illis, solos compertæ Nobilitatis clericos admittentibus, sunt munita; cùm enim ad Romanum Pontificem Ecclesiarum, dignitatum, personatum, canonicatum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ex suæ potestatis plenitudine pertineat, c. *Licet* 2. pr. de *Præb. & dignit.* in 6. & *Clement.* 1. in fine, *Ut licependent.* intuitu prærogativæ & meritum Nobilitatis statuere potuit; ut Ecclesiæ alicujus dignitates & beneficia omnia clarâ duntaxat stirpe progenitis, idoneis tamen clericis, conferantur, ut nemo facile inficiâs ibit.

50. Nonnulla etiam, sed infirma, illorum defensio est, quæ desumitur ex tacita approbatione Papæ, cùm; quia ne Gra-

duatorum exclusio latius proferatur, de Cathedralium Ecclesiarum canonicatibus ac præbendis frequenter ipsis providere solet: tum verò; quia, ad majora incommoda vitanda & ob adversantium potentiam, Papa non rarò tolerat, quæ sacri canones non probant, ut patet exemplò Canonissarum Secularium, quarum præpositas eligendi formam præscripsit, c. *Indemnitatibus* 43. §. *Supra dicta de Elect.* in 6. easque à seculari, & nonnullas etiam ab Ecclesiastica Ordinariorum dicecesanorum jurisdictione exemit, *Clement. fin.* §. *Illas quoque de statu Monach.* licet earum Institutum ac statum à se approbari neget, §. *citt. in fine.* Quin potius Jure, sicut minus probatæ Nobilitatis ab Ecclesiis exclusio, can. *Nos qui,* §. *His ita & c. Venerabilis citt.* sic & illarum status non obscure reprobetur, can. *Permissosam* 18. q. 2. *Glossa in §. Illas quoque cit. V. Approbare.*

51. Consuetudinis quoque immemorialis præfidiò Graduatorum ab Ecclesiarum dignitatibus & canonicatibus exclusionem defendi, volunt *citt.* Laiman n. 3. & Pirrhing n. 113. ratione, pro illa deducta, persuasi: & contra negant Panormit. n. 6. & Wagnereck in c. *citt.* §. *Ex quibus,* ducti c. *citt.* *decisione* & rejectione exceptionis, in antiqua Consuetudine & inviolata observantia fundatæ. Quorum pugnantes sensus distinctionis ope reducendi in concordiam, Jurisque non scripti vis adstruenda est Consuetudini, non cuicumque antiquæ, sed immemoriali ad dignitates, canonicatus ac præbendas admittenti solos quidem Nobiles: at non solâ sanguinis nobilitate, sed vitæ quoque morumque honestate ornatos, hoc est, educatos in timore Dei. & ad clericatum Deo in Ecclesiis servienti desiderio studioque promotos, atque insuper habiles ad obeundem ministerium

P p p 3      benefi-



beneficiis illis annexum. Ratio est; quod, sicut fundatorum intentiones & Apostolica privilegia huiusmodi Nobilibus faventia, sic & talis Consuetudo nec personarum acceptionis laboret vitio neque aliena sit à recta ratione: à qua contra maximè aliena vitioque illò infecta; atque idcirco, tanquam Naturali & Divino Juri contraria, reprobanda est Consuetudo Ecclesiarum, majorem claræ stirpis quam virtutis habentium rationem: & vel Nobilitatis solius, vel istius accuratorem quam Honestatis vitæ observantiaque præceptorum Dei, profectus in literis & idoneitatis exigentium probationem. Unde meritò damnandus est mos Ecclesiarum, in quibus canonicatus destinantur pueris, clericandi sive in Clericatu divino famulatu & Ecclesiasticis ministeriis se applicandi non habentibus intentionem: sed illos, vel solà emolumentorum ac proventuum Ecclesiasticorum pinguedine fruendi, vel cum tempore per viam resignationis in consanguineos transferendi animò recipientibus. Cui sanè notoriæ corruptelæ ad se quondam perlata magnopere indoluit Clemens Papa VIII. & propterea in Comitibus Ratisbonensibus, 1594. celebratis, per Eminentiss. Card. Ludovicum Madruzium, suum à Latere Legatum, Germaniæ Principibus Ecclesiasticis proposuit, eosque hortatus est, ut inter alios etiam tollerent Abusum, quò Beneficia conferuntur pueris infra ætatem. à Concilio Tridentino requisitam: & Nonnullis in Ecclesiis, dum canonicatus pueris conferuntur, qui Ecclesiastico statu tandem se abdicant, huiusmodi canonicatus longa serie à pueris in pueros resignantur, magnò cum divini cultus detrimento, ut refert Branden in Germania Concordata notab. 10. n. 45. & 48.

52. Deum in æquitate fundata Ratio,

sicut nobili profapia ortorum ad Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias receptioni & cum divinarum humanarumque rerum Scientia & Virtute excellenti, præstationi quoque virile, sic exile patrocinium præstat Scientiæ & Virtutum ditaxat ornamentis excellentium excludendi; quòd hi ad officium, Ecclesiarum illarum dignitatibus ac præbendis annexum, præ aliis habiles, & idonei etiam sint ad regimen conjuncti illarum præbentur Principatus ac dominatus temporalis; atque idcirco in præcis etiam Robustis publicis, teste eodem Halicarnass. Lib. 3. Magistratus & honores delati sunt non dissimulè, non his, qui longiorum indigenarum possent ostendere seriem, sed dignissimè, hoc est, rerum Scientiæ & Virtutis præstantibus viris.

#### ARTICULUS IV.

### De Dignis, imò Dignioribus præficiendis.

#### SUMMARIUM.

53. Quis Dignus & Dignior sit.  
 54. Indigno facta collatio illicita & invalida est.  
 55. Habens qualitatem præscriptam, eà carenti,  
 56. Et, qui est de gremio, extraneo præferendus est.  
 57. Dignior eligendus ad Episcopatum, ad S. R. E. Cardinalatum,  
 58. Et ad prælaturas Regulares.  
 59. Eisdem ad Episcopatum & prælaturam etiam patroni laici conferuntur.  
 60. Dignioribus etiam conferenda sunt beneficia curata inferiora.

62. Licet

- 62. Licet dignis facta collatio sustineatur.
- 63. Beneficia simplicia digna:
- 64. Imò ipsa quoque dignioribus conferenda sunt.
- 65. Spectatò Jure & Ratione:
- 66. Praxi contraria non obstante:
- 67. Nisi beneficia sint Patronata,
- 68. Vel permutata &c.
- 69. Vel Digniores referrentur curatis,
- 70. Vel Digniorum præteritione impediatur Electio Indigni.

§3. **D**ignus censetur, in quo non consideratur ulla qualitas, spectatà tam ipsius dignitatis vel alterius beneficii Ecclesiastici naturà, quam fundacione, statuto vel alio jure speciali requisitâ; ac proinde Dignior, in quo qualitates illæ ita excellent, ut ætatis maturitate, gravitate morum vitæque integritate, scientiâ, industriâ rerumque usu & experienciâ, aliisque ejusmodi dotibus & qualitatibus consideratis atque inter se collatis, ad Ecclesiam, cui præficiendus est, regendam aut beneficio sibi conferendo annexum officium obeundum, præ aliis idoneus judicetur, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 67. art. 2. & Covarruv. in Reg. Pccatorum p. 2. §. 7. n. 4. V. Dignior & alii DD. tradunt Gutierrez *Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 11. à n. 61.* & Fagnanus in *c. eam te 4. à n. 9.* quò præmissò

§4. Certum est primò, cujuscunque dignitatis aut beneficii Ecclesiastici quamcunque collationem, cum digno posset, indigno factam, graviter esse peccaminosam, ut colligitur ex *c. Cum in cunctis 7. de Elect. & c. Grave 29. de Præb.* quorum duorum textuum prioris §. fin. indignum ad beneficium curatum eligens vel id conferens, eligendi vel conferendi potestate pro ea vice privatur: poste-

riori verò personis indignis beneficia quæcunque conferentes, si moniti non resipiscant, à beneficiorum omnium collatione suspenduntur. Et merito; quia hujusmodi personæ acceptio & indignæ prælatio damnosa Ecclesiis, quarum commodum & utilitas promovenda: & animabus, quarum saluti per collationem esset consulendum, periculosa esse solet; ideoque hujusmodi collationes, indignis factas, ferè ipsò Jure irritas, rectè pronuntiat Laiman *Theolog. Moral. lib. 4. tract. 2. cap. 15. n. 1. V. Est tamen.*

Certum secundò est, quando beneficium vi fundacionis aut alterius juris specialis, certâ qualitate præditis personis conferendum est, hujusmodi personam dignam extraneæ sive ejusmodi qualitatem non habenti, quantumvis aliàs digniori, præferendam, ut cum Soto *Lib. 3. de Instit. q. 6. art. 1. conclus. ult. docent cit. Covarruv. V. Dignior & Gutierrez n. 37.* cum enim in fundacionibus conditiones, vi quarum beneficia ejusmodi personis conferantur, apponi à Jure permittantur, *arg. can. Decernemus 16. q. 7. & l. In traditionibus 48. ff. de Factis* appositæ omnino erunt observandæ, secundum decretum Trident. *Sess. 25. cap. 5. de Ref. & Rotæ decisionem,* quam refert *Garcias de Benef. p. 7. cap. 15. n. 4.* cum *cit. Gutierrez* aliisque DD. invalidam asserens collationem, quæ idoneâ ejusmodi personâ præteritâ, alteri facta est.

Certum tertio est, digniorem extraneum ad prælaturam vocandi obligationem non dari, cum eâ dignus de gremio haberi potest, ut desumitur ex *can. Nullus 13. can. Obiitum 15. dist. 61. & can. Metropolitanano 19. dist. 63.* & cum Angelico Doctore *cit. art. 2. ad 4.* & aliis docent *cit. Gutierrez n. 29.* & Laiman *n. 8.*

Dubium

§5.

§6.

57. Dubium autem est primò, an in electionibus ad praelaturas digno digniore præferendi obligatio detur. Quia in re de electionibus Episcoporum Leonis I. rescriptò cautum est, ut *Ex Presbyteris Ecclesie vel Diaconis optimus ordinetur*, id est, ad Archi-vel Episcopatum assumatur, *can. Metropolitano cit.* quod luculentius expressit S. Hieronymus *can. Licet ergo 8. q. 1.* cujus *pr. de Sacerdote* sive Episcopo ordinando loquens, *Ut sciant*, inquit, *omnes & certi sint, quòd qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium*, sive dignitatem Episcopalem. Eum autem, qui præstantior, doctior, sanctior, eminentior est, non ex honestate Consilii tantum, sed Præcepti necessitate, cæteris præferendum perspicuè tradit S. Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 1. de Reformat.* disertè docens, *Eos, Electores, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.*

Non defuere tamen, & à Cardenas *Cristi Theolog. dissert. 28. n. 10.* referuntur DD. qui, relatis & aliis antiqui Juris textibus, vel insuper habitis vel benignius expositis, asserere non dubitarent, Synodalis illius decreti monitione vel Præceptò Comparativum gradum pro Positivo accipi, & Dignioris nomine Dignum denotari; ut, indignis solummodo exclusis, dignus eligatur; ex pluribus autem dignis eum, qui cæteris dignior est, aliis præferendi obligationem impositam negarent extra Concursum, specialiter exposcentem, ut aliis præferatur, qui prævio examine dignior fuerit repertus, *cit. Sess. 24. cap. 18.*

Sed hos Synodalis decreti intellectus,

tanquam à PP. Tridentinorum mens alienos, publicè perniciosè laxitatis appetè arguit Innocentius XI. *decretò, 2. Martij 1679. editò*, inter complures alias n. 47. prohibens ac damnans Propositionem, *Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promoveant*: Concilium tunc primò videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumptò comparativò pro positivo; vel secundo locutione minus propriè ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur retriò, quando sit concursus. Quam Propositionem reprobandi iustissima causa fuit partim; quia verba *Digniores & magis utiles*, sua vi & propria significacione denotantia Comparativum, alio Jure vel ratione non cogente accipiuntur Positivo impropriè, & ad specialem & rariorem casum restringit, contra ritum Juris interpretandi Regulas; quarum vigore legum & canonum verba, quando sine incommodo possunt, secundum propriam & communi usu receptam significacionem exaudienda, *c. Inter 2. ff. de legat. & l. Non aliter 69. ff. de Legatis 3.* & generalis locutionis dispositioque generaliter, sine exceptione vel restrictione, præsertim ad casus rariùs contingentes, intelligenda est, *l. 1. ff. de Legat. præsent. l. Nam ad 1. §. ff. de LL. & can. Consuluit 2. q. 1.* ubi relatus Stephanus P. *Quòd, inquit, SS. PP. documento sancitum non est, in perstitiosa adinventione non est præsumendum*; partim verò; quia S. Synodus Tridentina *cap. cit. pr.* antequam digniores & Ecclesie magis utiles promovendos assereret, *Hoc Episcopale munus, inquit, hujusmodi est, ut si pro rei magnitudi-*

gnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit; cum illo sublimius & excellentius munus in hoc seculo non reperitur, teste S. Ambrosio *Lib. de Dignis Sacerd. cap. 3.* & propterea Episcopalis status sit Perfectionis non, ut Religiosorum, primum acquirenda, sed jam acquisita, ut ex D. Thomae 2. 2. q. 184. art. 7. & aliorum TT. communi sensu docet & multis comprobatur Bellarmin. *Lib. de Offic. Princip. controversi. 3.* in eam rem praecipue allegans S. Gentium Doctorem & Apostolum, qui Titum Episcopalis sui muneris admonens hortatur, ut *in omnibus seipsum praebeat bonorum operum exemplum*, ad Titum *cap. 2. V. 7.* ejusdemque muneris magnitudinem explicatius Timotheo ob oculos ponens, *Epist. 1. cap. 3. V. 2.* Operes ergo, inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, domui suae bene praepositum &c.* quibus verbis desideratas in Episcopo qualitates & ornamenta virtutum mirae & late patente eruditione declarat Barbosa *de Offic. Episc. p. 1. tit. 2. coto.* Unde ad stabiliendam dignioris eligendi obligationem sic argui potest. Ad Pastoralem Episcopi dignitatem eligendus est, qui in illo desideratis qualitatibus & ornamentis omnibus praeditus & perfectus est, siquidem talis reperitur. Quod si talis non reperitur, praefendus ab electoribus est is, qui plerisque aut pluribus ejusmodi qualitatibus & ornamentis excellit, & omnibus excellenti proximus est; ita enim pro rei magnitudine, si non satis, saltem quantum humanam diligentiam potest, de Episcopali munere cautum erit. Cum ergo, qui omnibus illis qualitatibus, ex iisve plerisque aut pluribus excellit, illas non omnes vel pauciores habentibus dignior sit, in electio-

ne ad munus & dignitatem Episcopalem eum, qui dignior judicatur aliis, absolute quidem sed minus dignis, praeferendi, obligatio erit. Ita cum *cit. Doctore Angelico q. 63. art. 2. & q. 185. art. 3.* Sylvestro *V. Electio 1. q. 16.* Navarrus *Manual. cap. 17. n. 73.* Sotus *Lib. 3. de Justitia q. 6. art. 2.* Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 15. q. 1.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 62.* Barbosa *cit. tit. 2. Glos. 3. à n. 29.* & aliis congestis Garcias *p. 7. de Benef. cap. 16. n. 2.*

Eadem, quae electionis Episcoporum, ratio est creationis Cardinalium; cum enim isti ex officio suo Romano Pontifici in regenda Ecclesia universali consilio & auxilio assistant, non nisi qui digniores & Romanae atque Universali Ecclesiae magis utiles fore judicantur, ad eorum Apostolicae proximam dignitatem erunt assumendi, ex mente Concilii Tridentini, *Omnia & singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, et aetate, doctrina & ceteris qualitatibus aliis in eadem sacra Synodo constituta sunt, in creatione sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda, decernentis cit. Sess. 12. cap. 1. §. Ea verò omnia de Reformat.*

Quin ad inferiores quoque praeturas jurisdictionem quasi-Episcopalem annexam habentes, etiam Regulares, ut sunt Abbatiae, Praepositurae, Prioratus &c. & praesertim ad Generalatus & Provincialatus eos, qui digniores & monasterio vel Religiosae familiae magis utiles fore judicantur, praeter aliis etiam dignis eligendi obligationem dari, ex communi aliorum sensu recte docent Sotus *cit. q. 9. art. 2.* Vasquez *de Benef. cap. 2. §. 3. dub. 2.* & Cardenas *1. cit. n. 5.* juxta Constitutionem Imperialem Novell. 5. *cap. 9. ibi, Qui optimus in monasterio apparuerit, is Abbas erit.* Ratio est, cum; quod

cum; quod etiam hi exerceant munus Pastorale: propter quod cum ad Episcopatum eligi debeat, qui dignior & Ecclesie magis utilis fore iudicatur, *cap. 1. cit.* talis eligi etiam debet ad praelaturam Regularem aut aliam, annexam habentem jurisdictionem quasi-Episcopalem, *arg. c. Ne pro defectu 41. de Benefic. tum verò;* quod digniorum præteritio non levia detrimenta afferat familiis Religiosis: & si præ ipsis licite eligi possent præcisè digni, via aperiretur ambitioni, & praelaturas non raro consequerentur indigni; cum elector, hoc ipso; quod adhibitâ diligentia aliqui ipsi non appareat indignus, eum dignum debeat reputare, *c. fin. de Scrutin. & c. fin. de Præsumpt.*

60. Dubium secundò est, an ad praelaturas Pastorales digniores nominare vel præsentare teneantur patroni laici, ut sunt Hispaniæ, Lusitaniæ, Poloniæ & alii Reges, quibus Episcopos nominandi vel præsentandi jus privilegiò Apostolicò competere, dictum est *Tit. 6. n. 15.* Ratio dubitandi est partim; quòd, si decretò Synodali *cap. 1. cit.* ipsi quoque adstringantur, & nominandò vel præsentandò dignos obligationi suæ non satisfaciant: sed digniores quærere & illis præferre teneantur, ingenti multisque serupulis subiectò onere eorum conscientie graventur: partim verò; quòd digniores præferendi obligatio, si ipsis quoque imposita fuisset decreto Synodali, huic contraria consuetudine sublata esse videri possit; cum ad illorum nominationes vel præsentationes Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis fere digni & idonei præficiantur, sollicitâ digniorum investigatione prætermisâ.

Sed eadem digniores promovendi obligatio, quâ electores, etiam huiusmodi patronos teneri, planè liquet

ex *cap. 1. cit.* cum ab iis, qui ad Ecclesias Cathedralis non promovent digniores, mortalis peccati reatum contrahi asserat indiscriminatim, & præsentantes ac nominantes apertè comprehendat, *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quocumque, nominandi ac præsentandi non minus quam eligendi, jus quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, ad idoneorum promotionem sic adhortandò; ut eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare asserat, nisi quos digniores & Ecclesia magis utiles ipsi iudicaverint, eorum meriti exigentibus, præfici diligenter curaverint.* Atque hanc digniores præficiendi obligationem non Ecclesiastici duntaxat, sed istò altioris & Naturalis Juris esse, manifesta ratio evincit; quia Jus & ratio Naturalis dicitur, ad munus & dignitatem Pastoralem, Episcopalem præsertim, præ aliis promovendos illos, qui habent omnes qualitates & perfectionem, quæ in Episcopo & simili animarum Pastore considerantur: & si, qui omnes illas habent, non inveniatur, promovendum illum, qui plures ejusmodi qualitates habet, ad perfectionem propius accedere præcatur; cum, eodem Jure & ratione stante, administratio etiam temporalis & Seculare regimen, iis tantum committenda sint, qui ad ea gerenda requisita talenta & dotes habent, juxta illud *subeunda 46. ibi, Ad paria muneris dignissimi meritis eligantur, c. de Distributionibus, Novell. 8. cap. 8. pr. ibi Testimonium habens, quia optimus sit & Novell. 15. cap. 1. ibi, Universi nobilitate hoc ministerium adimpleant.* Cum ergo, qui ad munus & dignitatem Episcopi pastoralem requisitas qualitates & perfectionem omnem habeat, vix unquam illi talis reperitur, ipse; & tali deficiente

is, qui ejusmodi qualitates plures habere & ad perfectionem propius accedere, ac proinde aliis dignior judicatur, promovendus, sicut ab electoribus, sic etiam à patronis laicis erit.

Ex his planè corrui in contrarium allegata consuetudo; quia hæc explorata non est; cum ea non extet in Hispania: à cujus Regibus Catholicis ad Cathedralium Ecclesiarum regimen virorū, sanctitate vitæ, doctrinā, prudentiā, divinæ gloriæ & animarum zelō, vigilantia præstantissimorum, præsentationes non nisi magnō Consiliō adhibito, & frequenter informationibus à majorum Ecclesiarum antistitibus acceptis, fieri consueviffe, testis est Cardenas *cit. dissert. 28. n. 28.* Quod si consuetudo contraria in aliquo regno invaluisset, ea, tanquam Naturali & Divino Juri derogans, pro corruptela potius quàm non-scripto seu Consuetudinario Jure habenda esset, *arg. c. fin. de Consuetud.*

Neque digniores præferendi obligatio Regius patronis justō difficilior est; cum magnum onus non sit, accuratam informationem accipere de personis ad Pastorale munus præ aliis idoneis: & ad illud nominare vel præsentare eas, quæ acceptis informationibus digniores sunt judicata: & si onus hoc magnum esset, non tamen excederet magnitudinem causā, quam nominatio & præsentatio spectat, scilicet provisionem Ecclesiæ de prælato, qui promovendi in ea divini cultus gerat curam, & oves, à Filio Dei profusi sanguinis pretio emptas & à diaboli servitute redemptas, pascat.

61. Dubium tertio est, an digniores præferendi obligatio etiam detur in cæteris beneficiis curatis. Qua in re, licet Negativam Aliqui tenuerint apud laudatum de Cardenas *n. 10.* Alii tamen & melioris notæ T. T. & Canonistæ etiam

hæc dignioribus conferendi obligationem adtribuunt cum D. Thoma *cit. art. 2. ad 3.* Anton. de Butrio *in c. Inter cætera 15. de Offic. Ordin. n. 15.* & Covarruv. *cit. §. 7. n. 3.* quia Cura animarum principalis ratio est, ob quam digniores ad Episcopatus promovendi obligatio in conscientia datur; ut proinde etiam aliis beneficiis curatis digniores præficiendi obligationem dari, sit necesse: eamque dari, disertè exprimitur à Trident. *Sess. cit. cap. 18. §. Peracto* ibi, *Ex hisque, pro Ecclesia parochiali obtinenda, examinatis Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicavit: & Constitutione Pii V.* quæ incipit *In conferendis* edita 15. Calend. Martij 1567. §. 7. ubi B. hic Papa ait, *Ut non solum dignis, sed magis idoneis reperitis, juxta Tridentini Concilii decretum, parochiales Ecclesie conferantur, volumus & decernimus &c.* Neque dicas, hac Constitutione & Conciliari decreto agi de collatione, quæ sit per concursum; quia iste eò sine introductus est, ut constet, qui digniores magisque idonei & beneficiis parochialibus præ aliis sint præficiendi, manifestò argumentò, in horum collatione digniores præferendi obligationem dari: quæ clariùs elucescet & confirmabitur resolutione dubitationis quintæ.

Dubium quartò est, de valore electionis & collationis beneficii curati extra concursum personæ dignæ, digniore præteritâ, factæ: *Extra*, inquam; quia in concursu præter formam à se præscriptam, adeoque de persona minus digna factæ provisiones beneficiorum parochialium pro subreptitiis habentur *cit. cap. 18. §. In omnibus:* & à Pio V. ejusmodi beneficia dignioribus conferri, præcipiente, *Constit. cit.* additò decreto irritante: atque insuper dignioribus præteritis permittitur appellatio. Unde mi-

nus digno factas hujusmodi collationes ipsò Jure irritas esse, censent Gonzalez *ad Reg. 8. Gloss. 4. n. 136.* Rebellus *p. 1. de Oblig. Just. lib. 3. q. 4. n. 15.* & Palao *cit. p. 11. §. 3. n. 3.* Extra concursum autem factas ejusmodi collationes & electiones de Jure subsistere, & per sententiam non rescindendas, cum S. Thoma *1. cit.* tradunt Covarruv. *n. 3.* Gutierrez *n. 15.* & plerique alii DD. cum propter *c. Cum nobis 19. c. Cum inter 21. de Elect.* &c. tum verò; quòd, si irritas ac rescissioni obnoxias essent, litibus & calumniis impugnationibus via aperiretur. An ad hujusmodi curata aliàque beneficia Ecclesiastica digniores præferendi obligatio patronos afficiat, commoitiùs dicitur *Lib. 3. tit. 38. à n. 131.*

Hic

63. Dubium &, sicut momenti maximi, sic difficillimæ resolutionis controversia est quòd, de beneficiis simplicibus, annexam non habentibus curam animarum: quæ ex obligatione dignioribus conferenda, cum Glossa *in can. Licet ergo cit. V. Qui præstantior* negat Gutierrez *cit. cap. 11. n. 28.* Garcias de Benes. *p. 7. cap. 16. & 17.* & alii ab his relati. Moventur Jure & ratione. Jure quidem; quòd istò talis obligatio non sit expressa: sed solummodo cautum, ut beneficia non indignis, sed dignis conferantur, *c. Cum nobis 19. de Elect.* quò loco Innocentius III. in promovendo non eminentem, sed sufficientem literaturam desiderat; & *c. Grave cit.* ubi ad beneficia Ecclesiastica generaliter, *Prætermisus indignis, idoneos, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, assumi,* idem Papa præcepit in Concilio Lateranensi ibi relato. Consonat Tridentinum *Sess. 7. cap. 3. de Reformat.* decernens, ut inferiora beneficia Ecclesiastica personis dignis & habilibus

conferantur: quæ Jura firmat & interpretatur Consuetudo sive praxis prælatorum, beneficia passim conferentium dignis: neque sibi conscientiam dicentium digniorum præteritionem. Cujusmodi praxis, si graviter esset peccaminosa, omnes ferè prælati essent in stato damnationis: quæ acerbissima sententia est, inquit Garcias *cit. n. 6.* Ratione autem, quòd ejusmodi beneficiatorum præceptorum munus sit, recitare Officium Divinum cui æquè satisfieri potest ab omnibus, etiam iis, qui aliis dotibus & qualibus spectatis minus sunt digni.

Contra, hujusmodi beneficia Lib. gravi culpa dignioribus conferenda, cum Angelico Doctore *art. cit. ad 3. debentur Covarruv. §. cit. n. 4. Azor p. 2. Instit. lib. 6. cap. 15. q. 8. & 9. Valerius Traët. cit. cap. 2. §. 3. dub. 1. n. 8. & alii* quos sequitur & refert Palao *Traët. 19. disp. 2. p. 11. §. 2. n. 8.* Nituntur etiam ipsi Jure ac ratione. Jure *c. Insuper sic. Custod. & c. Unici, ut benef. suo imminut.* quorum textuum prior, ad nec curatum Custodiæ munus meliores & sanctiores assumi, jubentur: posteriori verò Innocentius III. Archiepiscopo Mediolanensi rescribens *Debusis,* inquit, *Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare:* quòd textu non de curato, sed simplici beneficio sermonem esse: & hoc personæ magis idoneæ conferendi obligationem non introduci, sed introductam supponi, etè advertit *cit. Palao n. 8.* Ratione verò; quòd ex una, in collationibus beneficiorum minus dignos dignioribus præferre, aperta sit acceptio personarum: cum beneficia & officia Ecclesiastica non privatam collatoris, sed commune & spirituale bonum sint Ecclesiæ, & in christus & Christianæ Reipublicæ utilitatem dispensandum, juxta illud Apolloli, *Quisquis*

cuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, 1. Corinth. cap. 12. v. 7. & Ad adificationem Ecclesie quarite, ut abundantia, ibid. cap. 14. v. 12. quod, non observata proportione distribuendò, acceptio personarum committitur: ex altera verò parte, personarum acceptio contraria iustitiæ distributivæ & ex genere suo graviter peccaminosa sit, præsertim in Episcopis aliisque collatoribus beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum; quia illis, tanquam fidelibus dispensatoribus, ista conferendi potestas ab Ecclesia commissa est in bonum publicum præcipuè ipsarum Ecclesiarum; quòd scilicet, beneficia & officia Ecclesiastica dispensandò illarum necessitatibus & utilitatibus meliori, quòd possent, modò ab ipsis consulendum, speraret.

Ex duabus his Opinionibus, licet priorem minimè damnem; posteriorem tamen in praxi regulariter consulendam, & de rigore etiam censeo veriore.

Neque ei adversantur in contrarium allegati textus aut ratio. Illi; quia imprimis scientià tantùm sufficienti instructus aliis dignior esse potest, propter prævalentes in ipso alias qualitates; cum, ut c. Nisi 10. §. Pro defectu, de Renuntiis. dicitur, Imperfectum Scientia suppleri posse perfectio Charitatis: Deinde; quia, etsi digniorem præferendi obligatio detur in Conscientiæ interno, in externo tamen sive Judiciali Foro digno facta collatio, ad lites & calumnias vitandas ferè sustinetur, ut cum cit. S. Thoma ad 3. probè observant Navarrus Manual. cap. 17. n. 72. & Covarruvias cit. n. 4. Demum; quia laudata Concilia dignos & habiles assumendos decernunt relativè ad indignos, de quibus agunt: non ad digniores; quia aliis his digni præferri possent in collatione beneficiorum parochialium: de quibus Tridentinum cit. cap. 3. agit, &

alibi disertè statuit, ut magis idoneis conferantur, §. Peractio cit. Ista verò sive ratio; quia esto, Divinum officium recitandi obligationi satisfacere dignus æquè possit ac dignior, isti tamen etiam simplicis beneficii collatio facta magis expedit Ecclesie; cum, quò doctiores, sanctiores &c. ministros habet, ejus splendor & dignitas sit major, Palao cit. n. 8.

Neque etiam Praxis partim; quia 66. irritationabilis, ac proinde abusus & corruptela potius dicenda est, quàm vera Consuetudo, arg. c. fin. de Consect. Sotus Lib. 3. de Justit. q. 6. art. 2. Conclus. 9. ubi ait, quòd ubi longior est ejus abusus, eò fiat delictum gravius, c. fin. cit. partim verò; quia prælatos illos à gravi culpa sæpe excusat imprimis probabilitas contrariæ nobis Sententiæ, quam sequuntur: deinde non rarè; quòd ex pluribus idoneis in uno notatus dignitatis excessus dubius, aut non admodùm æstimabilis sit: & demum aliquando interveniant aliæ causæ, in casibus particularibus excusantes ab obligatione digniorem præferendi; ut ejus, cui adhæreo, Sententiæ propugnatores plerique agnoscunt.

Dixi etiam Regulariter, quia non 67. desunt varii casus & causæ, collatorem à digniorem præferendi obligatione excusantes; & primò quidem in beneficiis patronatis: ad quæ quales clerici præsentandi & instituendi sunt, statuetur cit. Tit. 38. à n. 87.

Secundò, in beneficiorum renuntiationibus ex causa permutationis, aut in 68. favore; quia in his digniorem investigandi aut præferendi obligationem, nec Jus nec ratio imponit: & si daretur, rarissimæ, aut sæpissimè peccaminosæ forent ejusmodi renuntiationes aut earum admisiones, Azor cit. cap. 15. q. 10. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 16.

Tertio, si id exigat specialis necessitas aut

Qq 3



fitas aut utilitas Ecclesie vel diocesis, non habentis idoneos ad parochialia aliaque beneficia curata; tum enim Episcopus non peccabit: imò providè ager, si ex vacantibus simul beneficiis duobus, uno simplici, sed pinguiori, alterò curatò sed tenuiori, illud minùs, hoc magis digno: aut unum vel plura beneficia simplicia vacantia minùs, sed tamen dignis conferat, digniores reservandò curatis, quæ prævidet vacatura, Sotus *cit. q. 6. art. 2. ad 2.*

70. Quartò, etiam in electione ad prælaturam, digniore præteritò, suffragium conferri in minùs, sed tamen dignum, potest, imò debet ab electore, si prævideat

suffragiò suò in digniorem collatò istam electionem non promovendam: eò videlicet in simpliciter dignum collatò, aliàs secuturam indigni electionem impediendam. Quod procedit, etiam si ad digniorem colligendum obligatus esset juramentò; quia huic tacitè inest conditio, *Si dignior eligi possit: aut, Nisi aliàs securus indigna electio non valeat impedi: vel, Nisi suffragium in dignum conferri magis valeat: sit Ecclesia, cujus favorem ejusmodi juramentum spectat, cit. Gutierrez, Lessus, usque n. 60. & pluribus allegatis Dicitur p. 3. tract. 5. Miscell. resol. 110. ubi alios hujusmodi casus refert.*



## TITVLVS XV.

### De Sacra Vnctione.



Occasione Ordinationis, Sacerdotalis præsertim atque Episcopalis, in eaque adhiberi solitæ unctionis hæc Rubricâ etique subjectò textu agitur de variis Unctionibus sacris, quæ ex Divini aut Ecclesiastici Juris præscripto sunt receptæ.

#### ARTICVLVS I.

#### De Unctionibus Baptismalibus.

#### SUMMARIUM.

1. Unctio alia Externa, alia Interna est.
2. In Baptismo adhibetur triplex,

3. Oleò vel Chrismate novò, non viciò peragenda:

4. Quæ tamen de Sacramenti substantia non est.

Sacra Unctionis duas species præcipue Innocentius III. *c. Unico §. Secundo* Exteriorem &, cujus ista signum est, Interiorem. Per Exteriorem ac Materialem oleò olivarum ab Episcopo consecratò, vel sacro Chrismate et oleo & balsamo, ab eodem consecratò & benedictò, visibiliter inungitur corpus juxta illud *Orent super eum, ungentes eum oleò in nomine Domini, Jacobi cap. 5. v. 14.* Per Interiorem ac spiritualem invisibiliter inungitur anima agendò, sive producendò in ea vel augendò gratiam sanctificantem: de qua S. Joannes, *Et vobis*